



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso Eberbacensi, cuius tactu infirmi sanabantur, cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

posuit, à quo iussus loqui verbum Dei, usque hodie
impræmeditatè, tam excellenter, & tam efficaciter
illud exponit, vt omnes auditores suos in stuporem
conuertat: aliis siquidem temporibus nullius est litte-

3. Reg. 3. raturæ. APOLLONIVS: Miraculum Salomonis, qui in
somnis scientiam accepit in isto resultat. CAESARIVS:

1. Reg. 2. Deus enim scientiarum dominus est: aliis scientiam,
vt dictum est, miraculosè conferendo; aliis nō minor
miraculo habitum subtrahendo.

CAPVT IIII.

Abbas de Lapide sancti Michaelis, tempore
capituli generalis, per Hemmenrode trahēs,
casum mirabilem nimis ibidē recitauit. Fuit
apud nos, inquit, clericus bonæ admodum literatu-
ræ: hic cùm die quadam in vena sanguinem minue-
ret, sic omnem scientiam scripturarum perdidit, vt
eam per sanguinem effudisse videretur. Litteram ab
illa hora non cognouit, latini sermonis, nec unum
quidem verbum intelligere, vel proferre potuit; & vt
noueritis priuationem sensus non fuisse in causa, sed
diuinam potentiam, omnium rerum priùs habitarū
plenè retinuit scientiam. Qui cùm tam mirabilem
litteraturæ suæ iacturam cum dolore multis exposui-
set, quidam ei suafit, dicens: Anno reuoluto, eodem
die, & eadem hora, iterum minus, fortè subtracta re-
cipies. Quod cùm fecisset, scientiam pristinam rece-
pit. A Domino factum est istud, sicut & præcedētia, &
est mirabile in oculis nostris. Aliis etiam per alios Do-
minus tribuit gratiam sanitatum.

CAPVT V.

IN Eberbaco Conuersus quidam extitit, homo
simplex & bonus, ætatis decrepitæ: huic Dominus
tantam contulerat gratiam, vt tactu manus eius, di-
uersæ infirmitates fugarentur: quod ubi secularibus
compertum est, ex utroque sexu, tam diuites quā pau-
peres, gratia sanitatum ad monasterium confluente,
virtutem benedictionis eius senserunt. Ex quorū con-
cursu videns Abbas fratrum quietem turbari, & do-
mum in expensis non modicum grauari, eidem Con-
uetlo,

verso, ne alicui seculari de cætero manus imponeret, præcepit. Ex illa hora in eo cessauit virtus miraculorum. Hæc mihi ante hoc biennium, cùm essem in Eberbacho, à monachis recitata sunt: ego vero virum sanctum adiij, & cùm rogassem eum, ut pro me oraret, simpliciter respondit: Quotidie oro pro te & pro toto mundo.

C A P V T VI.

REtulit nobis nuper Abbas quidā ordinis nostri de quodam monacho, cui tanta a Domino concessa est gratia, ut virtute vestimentorum eius multi sanarentur. Sæpe, si tamē adhuc viuit, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cùm quodam tempore eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretius allocutus est: Dic mihi fili mi, quæ est causa tantorum miraculorum? Respōdit ille: Nescio domine, nō plus cæteris fratribus meis oro, non plus vigilo, non plus ieiuno, non plus laboro, sed vnum scio, quod me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas, siue de persona mea fit, siue aliorū. Cui cùm dixisset Abbas: Non te turbauit, q; miles talis nuper grangiam nostram incendit? Respōdit: Non, totum enim Deo commisi: si modicū habeo, cū gratiarū actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognovit Abbas quod causa tantæ virtutis esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum. Sanctæ virtutes, fides videlicet, spes, & charitas, iustitia, humilitas, obedientia, zelus disciplinæ, atque compassio, sæpe gloria miraculorum remunerantur, sicut subsequentibus declaratur exemplis.

C A P V T VII.

IVxta Coloniam duæ generationes rusticorum inter se graues satis inimicitias exercebat: ex quibus una infirmior, in castrum vicinum Hemersbach se transtulit, de quo partem aduersam satis damnificans, cùm die quadam vnum ex eis cœpissent, volentes tres ex eis pecunię aliquid ab eo extorquere, dicebant: Si non dederis nobis pecuniam, puniemus te.

*De fide.**Quibus*